



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 67. Principum atque Illustrium decessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Barberinus communibus ferme votis Sæc. XVII,  
A. C. 1704.  
in summum Pontificem expetebatur, faustissima quæque populo sibi augurante ex tanti Viri electione, de quo hoc carmen in vulgus spargebatur.

Dum dominantur apes, vis dicam,  
quale futurum

Imperium Romæ? copia mellis erit.

Solus autem Barberinus vanam ejusmodi spem eludens, omnem movit lapidem, ut ceterorum suffragia in Cardinalem Albanum transferret, a quo etiam ad D. Petri Cathedram promotus Legatus a Latere Neapolin decernebatur, Philippo Hispaniarum Regi obtentum Regnum gratulaturus. Paulopost Romam redux, ibidemque vi morbi oppressus, die undecima Octobris naturæ debitum reddidit, emenso ætatis anno septuagesimo quarto.

§. LXVII.

*Principum atque Illustrium decessus.*

Eodem pariter fato hoc anno sublatis sunt Hermanus Wernerus Episcopus Paderbornensis, cui Franciscus Arnoldus a Metternich die vigesima prima Maij successit, & Marquardus Rudolphus de Rodt Constantiensis Episcopus, qui eodem anno successorem habuit  
Joan-



Sæc. XVII. Joannem Franciscum Schenck de Stauffenberg. Decessit etiam Joannes Martinus ab Eyb Euchstadiensis Episcopus, cui anno sequenti die nona Februarii subrogatus est Joannes Antonius Knöbel a Catzenelenbogen: Obiere insuper die trigesima Octobris Friderica Amalia Holstiaë - Gottorpensis Ducissa, Friderici III. Daniæ Regis Filia, Theresia Josepha Lusitaniæ Regis Filia, & Vaudemontius Princeps junior, qui Catholicam fidem professus, Cæsaris in Italia Archistrategus erat. Rudolphus Augustus Brunsvico - Guelpherbytanus Dux die vigesima sexta Januarii, Elisabetha Juliana Antonii Ulrici ejusdem stematis uxor, Emanuel Cothenis Princeps die trigesima Maij, Joannes Carolus Birckenfeldensis Dux die vigesima prima Februarii, Georgius Daniæ Princeps die quarta Martii, & Georgius Brandenburgicus die vigesima sexta Martii, & Augustus Ferdinandus Bavarix Dux in Schellebergeni prælio die secunda Julii trucidatus.

## §. LXVIII.

*Jacobi Benigni Bossueti Meldensis  
Episcopi obitus.*

*Dupin Bibl.  
des Auth.  
t. 18. p. 158.*

Speciali mentione dignissimus est, Jacobus Benignus Bossuetus Meldensis